

Vergil's Aeneid II.526-558

“Ecce autem elāpsus Pyrrhī dē caede Polītēs,
ūnus nātōrum Priamī, per tēla, per hostēs
porticibus longīs fugit et vacua ātria lūstrat
saucius. Illum ārdēns īnfestō vulnere Pyrrhus
īnsequitur, iam iamque manū tenet et premit hastā. 530
Ut tandem ante oculōs ēvāsit et ōra parentum,
concidit ac multō vītā cum sanguine fūdit.
Hīc Priamus, quamquam in mediā iam morte tenētur,
nōn tamen abstīnuit nec vōcī īraeque pepercit:
‘At tibi prō scelere,’ exclāmat, ‘prō tālibus ausīs 535
dī, sī qua est caelō pietās quae tālia cūret,
persolvant grātēs dignās et praemia reddant
dēbita, quī nātī cōram mē cernere lētum
fēcistī et patriōs foedāstī fūnere vultūs.
At nōn ille, satum quō tē mentīris, Achillēs 540
tālis in hoste fuit Priamō; sed iūra fidemque
supplicis ērubuit corpusque exsanguē sepulcrō
reddidit Hectoreum mēque in mea rēgna remīsīt.’
Sic fātus senior tēlumque īmbelle sine ictū
coniēcit, raucō quod prōtinus aere repulsum, 545
et summō clipeī nēquiquam umbōne pependit.
Cui Pyrrhus: ‘Referēs ergō haec et nūntius ībis
Pelīdae genitōrī. Illī mea trīstia facta
dēgeneremque Neoptolemum nārrāre mementō.
Nunc morere.’ Hoc dīcēns altāria ad ipsa trementem 550
trāxit et in multō lāpsantem sanguine nātī,
implicuitque comam laevā, dextrāque coruscum
extulit ac laterī capulō tenus abdidit ēnsem.
Haec finis Priamī fātōrum, hic exitus illum
sorte tulit Trōiam incēnsam et prōlāpsa videntem 555
Pergama, tot quondam populīs terrīsque superbū
rēgnātōrem Asiae. Iacet ingēns litore truncus,
āvulsumque umerīs caput et sine nōmine corpus.”